

non est ex materiâ cognatâ elementis, quæ sunt obnoxia corruptioni, sed est quvinta quvadam essentia. Jamverò quværi potest de hâc ipsâ quvintâ essentiâ, an sit, & quid sit. Scriptura certè affirmat ex eâdem materiâ factum esse cœlum & reliquam mundi machinam. *Aristoteles ita l. 1. de Cœlo cap. 12. Cœlum non subjacet alterationi. Ergò est ἀφθαρτον, incorruptibile, & per Consequens, æternum.*

Resp. est μεταβάσις εἰς ἄλλο γένος, verum est de naturalibus, quatenus naturaliter se habent. Sed quia mundus non naturali generatione, sed supernaturali virtute, & quvîdem creatione existere cœpit, hęc ratio hoc loco non militat. Aliàs sine alteratione nulla vel generatio vel corruptio fieri potest. Nos potius quvod mundus sit in tempore conditus ita argumentamur:

*Quicquid habet finem, principium etiam habuerit necesse est:*

*At qui mundus habebit finem, testante scripturâ:*

*E. Principium habuerit necesse est.*